CREANS SAPIENTIA ET GRAVITER, ET JUCUNDE ORATIO PRIMO HABITA IN ARCHILICEO...

Michelangelo Fardella

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, & Excelentiſſimo D.

D. SEBASTIANO FOSCARENO

EQUITI, D. MARCI PROCURATORI

ACCADEMIAE PATAVINAE MODERATORI

MICHAEL ANGELVS FARDELLA F.

IN lucem prodit alacris hæc Oratio mea, quæ tuo Vir ornatiſſime, utitur non patrocinio ſolum, ſed virtutum etiam tuarum imitatione. Neque enim potuit extimeſcere, quin aut Mecenatem de me optimè meritum ſatis alliceret, aut quemque hominum, qui te, qui mores tuos fæliciſſime imitarentur. Ac tu quidem ſi eam, qualiſcunque eſt, velis agnoſcere, ex amore tuo potius, quam ex meo labore profectam, & amare vehementiſſimè poteris, & debebis. Te auctore, te duce, te actore potiſſimum effectum eſt, ut quos viros noveras Patavii proferre Sapientiæ tuæ documenta, in eorum album ego quoque relatus, Philoſophorum doctrinis, dicendo magis, quam docendo proluderem. Proluſi, & quacunque demum ratione proluſerim, cum opus meæ tenuitatis eſt, tum vero tuæ benevolentiæ; quod propterea non improbare, ſed diligere cogeris. Et quamquam in eo fortaſſe Rethorum ornamenta ſplendidiora deſideres: tamen inſcribitur Divinæ Sapientiæ dotibus iis, in quibus te facile poteris intueri. Ut enim grauis ea pariter

exibetur in Aſtronomicis, atque in Metheoricis rebus plane jucunda: ita fermè uideris graviorem, jucundioremque te neminem. Illuxit jam tum dignitas tua, cum e genere maximè nobili, præclariſque Majoribus edebare, qui prudentia, fortitudine, magnanimitate mirum in modum & ciuibus, & Reipublicę profuerunt. Ludouicum, (ut cæteros prætermittam) Hieronymum Foſcarenos habes, quos tibi ex majeſtate commemores; alterum Doctorem Patauii Philoſophum, Oratoremque præſtantiſſimum, quater & uicies legatum, Patremque conſcriptum; alterum Claſſis Imperatorem, qui opibus ſuis nihil admodum parceret, ut ſecurior fortuna Reipublicæ uelificaret. Atque non à tuis modo, ſed à te fulges etiam multo magnificentior; in legationibus tuis videlicet, Gallica, & Hiſpana, ubi celſitas Animi Foſcarena, & Primatibus, & Regibus ipſis tantopere probata eſt. Fulges in Senatu & conſiliis, & eloquentia, in priuatis, publiciſque muneribus, fide, & equitate; in rebus denique omnibus ea probitate, & conſtantia, qua æmulator Summę Sapientiæ grauiſſimus uideare. Jucunditate uerò tanta es, quantam Exteri, Ciues, Nobileſque uiri in te quotidie mirantur. Omnes concilias humanitate, familiaritate omnibus preſto es, rapis omnes beneuolentia, geſtu, ſermone, ſalibus deuincis animos omnium prope tuo arbitratu. Quamobrem ſi oblitus ego beneficiorum tuorum, grauia, & jucunda Sapientiæ opera dicare alteri maluiſſem: id non ſolùm iniquo jure feciſſem: ſed nemini æque ac tibi placere debuiſſent; niſi forte magnis, lætiſque tuis moribus reſpondiſſent. Excipe igitur ea, quæ cum lucubrarem, tua mihi penitus eſſe uidebantur. Atque in eo de me rurſus promerebere, quod aliis tuis ſimilibus placere poſſit, ſi placeat tibi auctoramentum hoc obſervantiæ meæ.

ORATIO

ORATIO.

CUm ceteræ Sedes omnes Sapientiæ hujus univerſæ tantam, & doctrinarum & rerum neceſſitudinem præſeferrent: diù multumque dubitavi quideſſet, cur pugnam, luctamque oſtenderet ea, quæ colenda meis & Studiis & laboribus contigiſſet. Fateor enim quæque mihi exedrarum veſtrarum, Patres Sapientiſſimi, ante oculos obverſabatur: nullam tamen, cui non equam dederint congruentemque materiem, adhuc potuit animus deprehendere. Scientia namque divinarum rerum Deum habet, quem Religionis lumine opitulante contempletur. Leges, & Canones, utraque nobili vinculo copulantur, ſacræ, civilique Reipublicæ moderandæ. In Dialecticis, in Phyſicis ea conditione verſamini, ut ab alteris tramitem rectarum firmarumque rationum: Naturam atque abdita Naturæ omnia ab alteris doceamur. Medicinam ſpectemus? veſtigat morbos, quos pellat. Anatomen? hominum rimatur corpora fabrefacta. Geometricen? in figuras ac numeros acutiſſimè philoſophatur. Denique ſive perſuadeat ex arte Rethor, ſive alliciant oblectamenta Poëſeos, ſive res maximè in univerſum primus Philoſophus architectetur: nihil eſt quod adverſis, quod diſſentaneis in rebus perpetuò quaſi certamine elaboretis. Adeo veſtræ ſibi docendo conſonant facultates. At quę mihi, quamquam vires impares, benevolentium patrocinio noviſsimè tradita eſt: ea non uno ſolum, ſed etiam altero, eodemque diſparato in genere poſita, mirum profectò, quantum ſecum ipſa diſſentiat. Et Aſtra explorare

meæ facultatis eſt, & Meteora quælibet ingenio diſſolvere. Aſtra, egregia verò laus, dignior conatus, excellens cogitatio, quæ Solis jubare, quę Cœli facibus illuſtratur. Meteora, quàm humilis labor, quàm ignobile opus, ad res evanidas atque elementarias appellere intelligentiam? Ab Aſtris pro conſtanti Cœlorum temperie admirationem: à Meteoris pro inconſtanti mixtione elementorum riſum potius capere oportebit. Aſtrorum, Auctore Ariſtotile, uis eterna eſt, & carens interitu. Meteororum uerò eſt ortus ejuſmodi, ut cum oriantur intereant. Quid plura? ſi intemperiem Natura, ſi perturbationes, ſi deliria, ſi morbos habet ſuos: in Meteoricis hæc omnia cernere tùm facilè poſſumus, cùm inflammata furore maximo elementa, & in aciem prodeunt, & funeſtiſſimum bellum gerunt. Ubi autem tranquillè, ubi grauiter, ac temperatè, ubi ex dignitate, ex ſapientia, ex decore magis actum eſſe arbitremur, quam ubi orbes, & ſidera aptis quæque locis, ac ſedibus affabrè diſtributa Aſtronomis proponantur? illa monſtra quædam putaris, hęc armonicam concinitatem. Harum igitur diſciplinarum alteram alteri tantopere adverſantem dolebam equidem in unum, eundemque adminiſtratorem coaleſcere. Nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, verſari quenquam in veſtro curriculo cum tali, ac tanto diſcrimine diſciplinarum. Verum qui rem altius poſtea cogitavi, eo tandem conſilio factam eſſe cognoui, cui non acquieſcere vel ſumma alacritate non poſſum. In aliis quippe doctrinis, ſeria, ut mihi quidem videtur, veſtra Sapientia eſt, in aliis fermè jocoſa. In Diuinis enim rebus, in Sacro, ac Ciuili jure agitis ex majeſtate; in reliquis uerò facultatibus ad ludum ſapientiſſimè agitis, & uoluptatem. Floſculis luditis, ſi Rethores; verſus ſi Poete; rebus etiam, quæ ſub ſenſum cadunt ueſtra Philoſophia ludit, ludit ex parte

Matheſis.

19

Matheſis. Quamobrem liceat afferre palam hoc tempore de mea facultate quid ſentiam. Eam eſſe Inſtitutores multo prudentiſſimi voluerunt, quæ in ſeria ſimul & ludrica Diuinę Sapientię opera Philoſopharetur. Cœlos enim ac Sidera Aſtronomo tradiderunt, ut ſummam perinde, atque in ſolio ſedentem Dignitatem oſtenderet; Meteorico theatrum elementorum, ut ludentis preberet Naturæ varietatem. At ne cogitata per ludum hęc potius, quam ſeriò cuiquam fortaſſe videantur: paucis dabo operam, ut vobis ea comprobem.

Atque illud primum eſt omnium planè notiſſimum, quod, in eum unicè finem res Deus ediderit univerſas, ut ſe aut aliis lineamentis aliter deſcriberet, aut aliis exemplaribus aliter referret. Quem enim, & ſummum, & optimum eſſe novimus, & perfectione qualibet abſolutum: is cum ſola notione ſui feliciſſimè viveret, quid erat, quo aut beatior fieret, aut extrinſecus indigeret?

Quæcunque igitur editarum rerum, quoniam id habet neceſſe, ut aliquid ſupremi Opificis imitetur: antequam externa perquirantur, Deum in penetralibus veſtigemus; qui profectò cum extra tēpus omne cogitatione cogitaverit ſempiterna, tùm ſerio ſecum, tùm jocoſe egiſſe videatur. Nam quid gravius, quid ſe dignius cogitaret, quàm quod ipſe ſui ſpectator imaginem gigneret ejus naturæ, ejuſque ſubſtantiæ, qua unum idemque Numen, & gignens, & genitum ſe eſſe cognoſceret? Quod Verbum non temporaneum ſed ęternum, quod non aliis Divinitas protulit, ſed ſibi; quod non Divinum tantummodo eſt, ſed Deus: illud ne opus tàm grave non ſit, quàm quod graviſſimum? Unum hoc adeo Verbum eſt, quo in extaſim rapitur Deus, atque ab aſpectu magnitudinis ſuæ abſorbetur: quo aſpectu tantum vis, & fecunditatis declarat, bonitatis, intelligentię, pulchritudinis tantū, quantum mens nulla poſſit, quę divina non ſit, comprehendere.

Rationem fortaſse citius intelligemus, qua ſuis inde cogitationibus aliquanto jocoſius recreetur. Neque enim ſe ſolum ab neceſſitate naturę cogitat, cogitat etiam pro arbitratu. Tum ſcilicet cum dotes innumeras cogitans, atq; eas quidem in Primogenita imagine fulgurantes, ſe ſe diuinis ferè luſibus oblectatur. Alias exibet ſibi potiſſimam Eternitatem, illamque attributis præter quemque numerum cumulatam. Alias præfert cæteris dotibus, alias poſthabet Evum hoc ſuum. Alias alia Attributa cum aliis conglobans, complexiones quas nunquã enumeres, permolitur.

Atque ita demum ad exemplum ſui primum, & maximum ex arbitrio delineatę accedunt imagines aliæ, quas numerus etiam nullus exhauriat. Qua in re Sacri Codices docebunt Diuinam ludere Sapientiam.

Quare ſi grauiter hæc agit ſecum, ſi ad jucunditatem: id mirum nemini uideri debeat, quod grauem æque & jocoſam in conditis rebus appellandam putem. Nam quod attinet ad grauitatem, an non elucet illa cum primis in fabricatione & Aſtrorum & orbium? Excurrite Oceanum planè ęthereum tùm eductum è nihilo, cùm Deus primum tempora poneret. Quot in eo Sidera: totidem jacta fundamenta quorum ſingulis Mundus integer niteretur. Animaduertite firmitatem, non qualem Philoſophi aliquot indoctiſſimi ſomniauerunt, ut in dilatatione intereant, ſed qualem immenſa moles, atque operis ſiſſima poſtulabat. Tornatos reuoluite cœleſtes globos, ea luce, eoq; fulgore ditatos; ut ſuo quiſque radiorum paludamento purpuraſceret. Quantum diametri extenderit in orbe quolibet ampliſsimo cogitate, ac demum non impreſsa leuiter, ſed fixa ad memoriam ſempiternam Diuinę Poteſtatis, Prouidentiæ, Magnitudinis, Majeſtatis ueſtigia cognoſcite.

Quid ſi faſciam quoque Zodiaci perluſtretis? & Orbem faſciat hæc uniuerſum, & curriculum Planetarum eſt,

ubi vario, implexoque itinere circumferantur. Qua Aries occurrit, anni ſuſceptor in Equinoctio primo. Qua Cancer, tùm inflammator æſtivi temporis, tùm Solis, vel inviti à curſu rapidiſſimo revocator. Qua Libra vivacioribus flammis accenſa, quę diem, noctemque iterum exequabit. Qua Terrificus Capricornus, qui & gelaſcat, orroribus hybernæ tempeſtatis, & Siderum Principem denuo reiiciat in Aquilonem.

Alibi denſis, rarioribus alibi ſtellarum floſculis lactea fulget via. Fulget alibi Jouis aſtrum præclaro Satellitum comitatu, alibi minutorum luminum ſtipante caterva ſublucet Saturnus. Atque ut capias undequaque, aut magnificentiæ, aut admirationis argumenta, Solis purpuram intuebere maculis pulcherrimis decoratam.

Pro Deum? Quam multa mirabor Aſtronomus? Mirabor & illud pro tanto ſcilicet opere Diuinarum cogitationum apparatum; quibus modos innumeros intuebatur moliendę fabrefactionis ſuę. Solē in medio poſitum, quē Aſtra, quem Terra perpetuo motu, & orbico circumirent: Ut ingeniosè Copernicus excogitavit. Solem circumactum, circumactos pleroſque Planetarum, quo terram regio famulatu circumdarent; quemadmodum, Thico arbitrabatur. Terram in ſinu elementorum, rotataque circumquæquæ ſidera; item atque Ptolomæus, & Ariſtoteles exiſtimarunt.

Quanquam ne hæc quidem, & magna & grauia Aſtronomo occurrunt admiranda potiſſimum. Quibus legibus moventur Cœli, iis potius omni cũ admiratione ſubſcripſero. Nam cum in prima, ac ſumma perturbatione rerum jaceret torperetque letheo ferè ſopore Materies, cum vix unquam fieri poſſe exiſtimares, ut ex Chao tenebricoſiſſimo expergiſceretur, cujus tandem uocis numine excitata eſt? Vox, Vox Dei torpentem excutit, jacentem erigit couſque, dum capto motu celerrimo, tenuiſſima ſpiritus ætherei

ſubſtantia

ſubſtantia concitata, in Solem migret, Soli inſideat, in Sole claudatur motibus nullo unquam tempore fatigandis.

Hinc Planetarum curſus, hinc fęcunditas Elementorum, hinc varietas earum rerum, quas oculis cernimus. Quæ res perpetuum in orbem acta Cœlorum mole, viribus ſuis prædite, adeo horrent otium, ut non agere, non vim Conditoris, actionemque non æmulari non poſſint.

Ecce igitur uno demum Aſtro circumeunte, Cœlum hilare, & ferax, Aquam, Aerem, Tellurem corporibus innumeris referta. Et lætus plantarum populus adoleſcit, & formas induit metallorum multitudo. E Belluarum viſceribus oriuntur feræ, natant in oceano monſtra, iratis vel maxime fluctibus, monſtra colludunt. Qua ſobole veſtiuntur nemora? Qua luxurie virent colles? Quibus floribus lenocinantur prata? Quo pretioſi lapilli fulgore pellucent? Felices Aſtronomos? quorum eſt ſpectare Cęlum, ſublimioraque Naturæ opera contemplari.

A molis quidem hujus univerſæ regimine docemini Divinitatis ſapientiam graviſſimè cogitâtis. A cęlorum motibus mirificè conſonantibus pulchritudinem. Ab Aſtro maximo eodemque vivifico, & fecundante omnia vim & bonitatem. Ab æquabili itinere planetarum, conſtantiam. Ab ordine cujuſque æthereæ ſubſtantiæ intelligentiam. Ab aſtrorum denique, & aſpectu vario, & curſu recto, ſtante, retorto, Divinæ artis præſtantiam, quæ nuſquam hallucinetur.

Hactenus in Aſtronomicis ſummæ Sapientiæ gravitatem, jam ludos attendite in Meteoris. Deſcriptum & ipſa quidem nos edocent Fabrefactorem ſuum, ea tamen hilaritate deſcriptum, ut lætus, ac ludens naturæ amenitatibus tùm maxime referatur, cum affectio quęque elementaria, ut ei ſolatio eſt, ita nobis & riſui, & timori, & alacri ſtudio pariter atque admirationi.

Nam ut primum in fontem illuſtrium Meteororum, lucē

21
videlicet oculos animumque convertam, mihi profectò videtur ea, cum umbris non tàm lucere, quàm ludere. Quippe quæ ab ũbris abhorreat, umbras abigat, fuget umbras, quarum ſemper tamen utitur famulatu. In nubibus cęleſtem colorat arcum tanta pulchritudine, & varietate, quantá nulli mentiri liceat penicillo, pinxerit tamen illa ſine umbrarum opera cum radiis viuacioribus mirificè ludibunda? qui colores illico prodeunt, micantque certatim, ortum interitu ſubeunte, purpureus, uiridis, cæruleus, albus color: in iis umbram non modo cum luce ludere certo ſcimus, uerum etiam illudere. Illudit hæc in Pareliis, cum Sole plures intuemur, hæc in aſtris, cum coloribus bellè coronantur; hæc in quoquo ſidere, quod majus, quod elatius in crepuſculis uideatur. Hæc denique poſt Solis occaſum, cum ſolem adhuc nos illuſtrantem refert Horizon.

Deinde in media, ac ſuprema aeris regione, quæ ſpectacula nobis exhibet Opifex rerum? Nihil dico quorum coruſcatio fulgurum, qui fulminũ tumultus & fragor, quę igniũ fatuorum excurſio terreat, terrore etiam jucundo. Utcunq; ſimulet aſtra, quæ corruant, lanceas ut pugnet, pendulas flammas ad incendium; hæc omnia prætereo. Illud ego præterire non poſſum, ludricum ne magis exiſtimetis, quam terribile tonitru? Noſtis horrificum apparatum, cum ſulphureæ expirationes, candentes halitus, coacte in cuniculos atræque nubes, ubique cędes, ac funera minitantur.

Paſſim inter crepitum, mugitumq; hinc inde exploſio eſt veluti arietantium tormentorum. Ipſos dixeris pauere colles, montes ipſos contremiſcere, atque animantia quęq; & inanima peritura ictibus calamitoſis. At ubi repente edomita tempeſtate Cęlum rideat, rideat Tellus, hîc quoq; à Diuina poteſtate, ac Sapientia ludum exerceri multo jucundiſſimum quis inficietur? Ludit enimuerò ludit. Per ludum Stellæ curſitant, lambunt ignes, Capre ſaltitant, Dracones

uolatici

volatici invadunt, ac nuncii vel malaciæ Nautis, vel procellarum inflammantur fulgores in vertice antennarum.

Et quamquam funeſta potius, quam jucunda Cometarum oſtenta nobis eſſe conſueuerunt; in iis tamen quos ludos quamue jucunditatem ſumma ſibi ſapientia comparauit? Grandeſcunt Fumi tenaces, ignis facile pabulum, ac longe lateque tandem accenſi Stellas ejuſmodi non imitantur, quarum aliæ cauda, aliæ crinibus, aliæ ut larue quedam barbate oculos æque ludificent, & animum ſpectatorum?

Ludos recordamini terribiliores, atque ejus quidem elementi, quod captiuum in terræ uiſceribus, ſi compedes ruperit aliquando, quo tremitu colles labant, urbes concidunt, terræ dehiſcunt: quos liquentium metallorum torrentes euomit ex Ætna: quas è Veſuuio rupes jaculatur; quibus incendiis exundat ab Indico Vulcano; in hiſce rebus omnibus quantam ignis declaret Numinis ludentis uirtutem intelligamus.

Sed non ex igne tantumodo Sapiens procreator: ludos capit etiam inde, ubi in uaporem aquæ, ac nubem abeunt. Halitus cogit æquoreos, & grandine ferit agros, & reficit pluuiis agros, & fouet niuibus agros, & roſcida quæq; plantarú, tàm dulci alitur alimonia, quàm multe nobis manna, ſaccaro, melle dulcent. Ubi autem Salis acumine aquæ ſe abdicarint, quid tum? Abſunt aluſibus, ludunt grauatim? Atqueadeò naturæ legibus ualedicunt, nec graues, nec ponderoſe, ſed acte ignibus abditis, & leues, & alacres, hinc ſaltu montes celerrimo ſaliunt, inde in riuos hilares explicantur. Scatent inde è fontibus, ruunt inde pede precipiti in torrentes. Aliæ redundant in fluuiis, in termis illæ preferuent, in puteis aliæ frigore antecellunt, alię ad otium, & uoluptatem hybernis algoribus coagulantur.

Neque uerò in pluuiis, ac nubibus læta minus minuſque jucunda Sapientia eſt, cùm è guttulis aut bullas efformat,

aut

 22

mat, aut globulos perminutos, qui invadantur ab ęthere, & cum ętheri ſurſum rapiantur, donec alii cum aliis jocuſe dimicantes, tùm diſpertiti cum ſibilo decidant; tùm præcipites etiam ſui ſedes adeant Elementi.

In nubibus autem ut quieſcant illæ ſomno quodam detente, ut volitent à ſomno propemodum excitatæ, aut ardeant fulgure, aut fulmine ſæuiant, quis qui poſſit aut oratione complecti, aut animo deprehendere? Quis qui aut nigrorem explicet fumumque teterrimum, aut ruborem referat oculis perjucundum;aut alborem oſtendat,quo tranquillo tempori præeunt? Quę ſunt puſilli corporis nubes, æedem ictu oculi in gigantum corpora explicantur; quaſq;dominari uſquequaque aeri arbitrere,eas repente cernis in athomos coarctari.Quo tempore in valles extenſe mirificè ſpectabantur, eodem in colles tranſmigrant, qui & in montes cumulatos montibus tranſire illico videantur.

Huc accedat magis magiſque ludrica metamorphoſis, qua terram uerſus producte nubes in columnas, columne in tubas, tube in ſpiras conuertuntur ejuſmodi, ut naues jactitent in oceano, in hortis fœde lacerent flores, in ſiluis annoſa robora quæque diuellant, in urbibus tecta magnifica evertant, ac tum ſi uobis eſt animus neludat Deus & lętis nubium, & funeſtis luſibus dubitate.

Quod ſi ficta nobis certamina arrident: in aere habemus hoc quoque ludorum genus. Ab ortu, & occaſu, à meridie, ſeptemque Trionibus qua ui, quove conatu prodeunt ventorum principes ad bellum? Ecce ut primum ſe ſe laceſſerunt, quam effrenatis utrinque uiribus concurrant, manus conferant, flamine acerrimo prælientur.

Tr[illegible] ducibus in ſe ſuis educta quæque acies, quid neruorum oſtentat, quid roboris, quid furoris? Zephirum Eurus agreditur, Auſter Notum procelloſum: Pugnat cum Africo Cæcias, perflat Argeſtes reflante Volturno.

Aquilonis

Aquilonis & Auſtri pendet Victoria. Atque Cohorte quælibet perturbata, à fronte, à tergo quamdiu petuntur hoſtes, tamdiu, & exardet pugna, & à ludente Sapientia ſuaviſſime detinemur. Cujus ludos omnes, qui elucent in metheoricis rebus, ſi afferre velimus hoc tempore, plus æquo longiores certè eſſemus.

Itaque in eum, qui unus eſt omnium, & auguſtiſſimus, & magnificentiſſimus, contrahatur oratio. Vbi Scillam inter & Charibdim uoraci & rapido gurgite incauto cuiq; nautę ſubitum Siciliç Pharus, & miſerandum interitum comminatur: inde Julio efferueſcente ingens attollitur, denſusque uapor (is apud Rheginos Morgana appellatur) ſpectatoribus referens Theatri patentis, atque magnifici ſimulacrum. Mirum ſane Metheorum? Quibus exſpirationibus effluant elementa: eas continuo Speculum cernas effingere aſpectuum ſexcentorum, quibus oblate queque rerum, magnitudine tanta, ac multitudine ſimulantur, quantam poſſis attonitus perhorteſcere. Quęuis excreſcit adeo uel minima athomorum, ut moles ampliſſima videatur. Ex uno innumeri homines; ex uno innumera edificia; ex una civitates innumere conformantur.

Scenam fingite uobis animo, non ſolum inſtructam ſummo ornatu, ſummaque magnificentia, ſed etiam aſpectui quoquo verſatili machinamento uariatam. Aule, Palatia, Nemora, Arces, turme, prælia, cohortes, hęc ſpectacula nulla ſunt pre iis, quæ in Theatro noſtro quiſque ueſtrum, & multa, & uaria ſtudioſiſſimè intueretur. Peditatum in eo quidem atque equitatum, Regias, templa, Silvas, topiaria ſpectaretis, ſed qua deinde celeritate homines in bruta, in ſaltationes caſtra, urbes in antra vidrentur illico transformari? Quæ prata fuerant, ea montes, qui fontes, hæc viridaria, quæ planities jam ſpælea ferarum, ubi menia, ubi turres, ibi aulea & adamantes;

ibique

ibique virentes arbores, ubi procelloſis mare fluctibus iraſcebatur. Atque ut paucis complectar omnia: quotquot minima tempora fluerent, Divina Sapientia vobis totidem variatos ludos, totidem ſcene proſpectus ampliſſimè exhiberet. Agit ergo Summus rerum Architector, & Artifex in Aſtris, & orbibus pro majeſtate; Agit lucidis, & igneis aereis, & aqueis metheoris ad ludum, & voluptatem.

Jam illud eſt reliquum, ut in utramque hujus doctrinæ partem, docendo, diſcendove ſtudia noſtra diligentiſſime conferantur. Atque ego ſanè tametſi tenuitati meæ video quantopere ſit in una, atque altera laborandum: tamen ex dignitate, & lepore doctrinarum, quas tractare me in hoc Liceo preſtantiſſimo oportebit, datum eſt eos, & honoris, & beneficentię fructus capere, quos ſi uel maxime uelim, enumerare nullomodo poſsim.

Quos noui Nobiles Viros, Valerium, ad Regium Thronum nuper in Veneta Republica euectum, Baſadonnam, Juſtinianos, Foſcarenum, Equites, Moderatores Sapientiſſimos, Procuratoreſue, ſuo de me optimè meritos patrocinio, eorum uoluntati, atque beneuolentiæ ne officiis quidem omnibus unquam ſatisfecero. Id enim, ut ego arbitror ſtatuerunt, præter cætera, ut in ea docendi ratione uerſarer, qua Doctorum quiſque meritò gloriaretur; nimirum ut grauia ſimul, & jucunda, non Diuinitatis modò ſed Senatus etiam, atque uniuerſe Reipublicæ opera docendo imitarer. Grauia inquam, ut dignitates, lêgationes, Conſilia, & Gubernatiores, & leges, quę caſto, & integro jure populis moderantur, ut arma quibus Terrę, & Mari, tùm religioni pugnare, tùm uires barbarorum hoſtium effringere conſueuit. Jucunda uerò, ut cum in ea urbe, quæ & fortunatiſsima, & opulentiſsima eſt, & ſedes dominationis uniuerſæ tales exhibet jucunditates, quales in Theatris uoces muſicorum, qualia in pon-

tibus pugillatoria, qualia in canalibus nautica certamina ſolet identidem & ciuibus, & exteris prodere. Quamobrem ſi quid ingenio, labore, induſtria conſequi poſſum; id omne oſtendam potiſſimum ubi Res, ubi Prętoris, ubi Prefecti ampliſſima auctoritàs cogit ipſa me eſſe accuratiſſimum. Si autem veſtrum eſt ingenium, & vitę mores optimos colere Studioſiſsimi Adoleſcentes: quid erit, quod accomodatius cuique veſtrum fore exiſtimetis, quam aſtronomica ſimul, & Metheorica diſciplina? Hiſce ducibus utinam conſtanter utatur veſtra quæ floret ætas; Non ſolum quæ honeſtiſſima ſunt perdiſcetis, quæque digniſſima cognitu: verùm etiam Deus illæ vobis facilè innoteſcet, quem diligere tanti eſt, quanti Beatitas ſempiterna.

Placet ne vobis ęquabile vitæ genus, tùm ſibi, tùm aliis conſonans, atque accomodatum? id congrui cœli motus, quorum nunquam alter ab altero diſſentaneus, vos edocebunt. Ideæ ne vobis arrident, cogitationeſque, non vivaces modo, ſed mirifica, & magnitudine, & gravitate? Molem, ſtructuramque cœleſtium globorum omnium conſuletis. Indicabunt fulmina juſtitiam, Iris clementiam, terræmotus De[illegible]m & poteſtatem. Quæ in fulgetris velocitas? Quæ [illegible]rum fæcunditas? in turbine quæ indignatio? Quæ actio ventorum? Hæc & alia complura cum mirari licebit ſtudioſo cuilibet adoleſcenti: tum ad ſupremi Conditoris exemplum in ſe virtutes omnes optimè conformare.

Itaque ut in eo mihi danda opera eſt, quod & habeo maxime polliceri, ne cuipiam qualiſcunque erit, deſit unquam præceptio mea, item quemque oro, & obſecro, [illegible] ſtudia negligat earum diſciplinarum, quibus perinde ſerius Deus agnoſcitur, & jucundus; atque nobis adipiſcimur, & agendi gravitatem, & jucunditatem intelligendi.

FINIS.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE